

G R S

1 5 7 2



Jerem. 20  
verbu dñi factu est in dñi,  
sionem.

P. 6. 35


Sammelband!

Theol. O. VII. 1272.


















AB: 153220











FAMILIÆ  
REGVM AR-  
MENIORVM ET  
PERGAMENORVM, QVA-  
rum illæ diutius, hæc maturius & pos-  
tentia fama maiore, vtræq; tamen in  
tertia Monarchiæ tempore, quæ  
Græcorum seu Macedonum  
est, regnârunt.

Conscriptæ

A

REINERO REINECCIO  
STEINHEMIO.



VVITEBERGÆ


*Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.*

A N N O

---

M. D. LXXII.







INCLYTO ET  
GENEROSO DOMINO,  
D. HENRICO A KVRTZBACH, LI  
bero Baroni in Trachenberg & Militsch, Do  
mino in Drum & Lemberg, Domino  
suo clementis.

REINERVS REINECCIUS  
STEINHEMIVS  
S. D.

**R**VIT illustre semper AR  
MENIORVM nomē,  
dignitas & virtus illustris.  
Quippe gentis repetendo  
primordia, quæq; alia in terra ista ma  
ximè memorabilia accidere, constat  
Armeniam primùm familiæ Nohæ, ad  
quam tùm solam genus humanum re  
ductum esset, post horribili illius atque  
terribilis diluuij cladem præbuisse ho  
spitium. Cuius quidem rei monumen  
tum partem nauis, qua vectus Noha  
fuerat, diu ibi asseruatam, Iosephus scri  
psit: cum fortè superstitione etiam cultum  
aliquem addidisset, ad eum nempe mo  
dum,

A 2 dum,



dum, quo in regni Pontificij tenebris  
piorum hominum reliquijs veneratio  
tributa. Ac tametsi redijt post Noha  
ad priores, & à sanctis patribus possessas  
sedes, quæ in Palæstina & Damasci  
vicinia fuisse creduntur (nam & Melchizedeck,  
qui est S E M, ibi confedit) tamen colonos  
Armenia instaurato genere humano, & linguarum  
confusione disperso, mox recepit. A quibus  
coeptum regnum, etsi seruitutem admisit  
alienam Assyriorum, & hac amota iterum  
Medis vectigale fuit, conseruauit tamen  
se ad Darij & Xerxis tempora vsq; per  
annos ferè 1600. Tum enim regia stirpe  
extincta, Persarum prouincia Armenia  
facta est: à quibus Persis cum victo  
D A R I O Codomano peruenisset ad  
Macedonas, & post varias mutationes  
tandem sub S E L E V C I D A R V M  
dominatu mansisset, A R T A X I A S &  
Z A D R I A D R I S, præfecti, regnorum  
nouorum per defectionem initium faciunt,  
& hæc potentia muniunt tanta, quæ  
externam vim



vim facile arceret, adeoque Seleucidas  
ipfos euerterit. Cessit enim Syria, pro-  
ceribus euocantibus, **TIGRANI**  
Magno. Quanquam quod oraculum  
Macedonibus Philippos duos fore pre-  
dixerat, ἀγαθὸν καὶ πῆμα, hoc vtrunque  
Armenij in vno & eodem rege Tigra-  
ne experti sunt. Is enim cum, seu cladi-  
bus acceptis, seu **POMPEII** felicita-  
te territus, nimis se humiliter Romanis  
submisisset, vt familiæ accelerauit inte-  
ritum, ita regno seruitutem miserabi-  
lem attraxit. Etenim reges constituens  
di ius ac potestatem exinde Romani  
vsurpârunt, & ita vsurpârunt, vt Ti-  
granis posteritate exclusa, regnum ad  
alienos transtulerint, hosq; ipsos, quo-  
ties & quando liberet, rursus excu-  
terent, suffectis alijs. Quæ res cum &  
Parthos attraxisset, Armenia inter va-  
rios motuum veluti fluctus agitata,  
vtrorumq; præda facta est, & clades  
accepit grauissimas. Attamen ne  
sic quidem regnum esse desijt: & gens  
sub Imp. Cæs. **CONSTANTINI**

A 3 Magni





Magni imperio ad religionis Christianæ professionem adducta, mansit in ea constanter. Atq; inuenimus etiam Sarracenicis & Turcicis temporibus reges Armeniorum Christianis, interq; hos Argonautis nostris Hierosolymitanis, semper fidos & beneuolos fuisse, adeoque TARTAROS Scythas, contra Turcos euocatos, Christianis dogmatis imbuisse. Quorum collapsio imperio, etsi reliqua Asia ad Mahometismum, ceu canis ad vomitum, redijt, ipsi tamen in maiorum institutis Christianis inhærere perseuerârunt. Etenim ad hunc usq; diem Ecclesiarum reliquias superesse in Armenia, aiunt: & Turci cum Christianorum hostes se profiteantur, & de Alcorani præcepto impio seruitutem his diram intentent, solis Armenijs parcunt, quia scilicet, vt credi ipsi volunt, in Armenijs quidam Mahometi potentiã & gloriam per totum orbem propagandam prædixerat.

*Iam Pergamensis regni cui omnium*

um



um obscura amplitudo: cui obscura po-  
tentia: Armeniaca haud paulò maior  
& celebrior. Fecerat eius initium Eua-  
nuchus PHILETÆRVS, neque  
gente, neque origine clara, quippe de  
qua vtraq; dubitetur. Sed omnia virtuti  
subesse, neque vliam huic viam inuiam,  
vt Poëtæ verbis vtar, vel hoc satis com-  
monemur exemplo. Atq; vt parta à  
Philetæro conseruauit, & conatu felici-  
cissimo auxit EVMENES I. ita re-  
gij nominis dignitate extulit ATTAL-  
LVS I. prouincijs varijs amplificauit  
EVMENES II. Accessere his,  
è literarum studijs petita ornamenta  
haud minora. Nam vt ATTAL-  
LVS I. eruditione doctrinarum exi-  
mia fuit, quod testantur scripta ipsius  
citata à Strabone & Plinio: ita EVMENES F. æmulatus Ptolemæo-  
rum circa Bibliothecas studium, hanc  
& ipse Pergamæ reliquit instructissimã,  
& membranæ, quæ Pergamena inde  
cognominata fuit, vsum primus intro-  
duxit, denegantibus nimirum Papy-

A 4 rum



rum Ægyptiã inuidentiã quadam Pto-  
lemæis. Vt vsurpari de ipso etiam haud  
immerito possit, quod de se scripsit  
Archilochus:

εἰμι δ' ἐγὼ θεράπων μὲν ἑυναλίοιο ἄνακτος  
καὶ μισέωμι ἔρατον δῶρον ἐπισάμεν.

Et quidem certè fati potius, iam omnia  
ad Romanos trahentis, vis iniquior,  
quàm virtus ad diuturnitatem defuisse  
Attalicis regibus videtur. Neq; culpæ  
nihil in Romanis ipsis refedit, qui po-  
tentiam tantam inuidere illis cœpisse-  
sent, ATTALO II. ad defectio-  
nem occultè sollicitato, & Aristonici re-  
bellione nimis acerbè vindicata.

Hæc cum cognitu iucunda, vsu  
cum primis necessaria animaduertisse-  
mus, de regni vtriusq; familijs explican-  
do afferre nonnulla visum fuit. Cui  
scripto Excels. T. nomen addidi, inclys-  
te & generose Baro, Domine clemen-  
tiss. quòd qua diligentia, cura, opera,  
latinæ linguæ & artium studia hæc-  
nus Excels. T. tractasset atq; etiamnum  
vrge



vrgeret, eandem ad historiarum lectio-  
nem afferre ipsam coepisse, comperis-  
sem. Etsi enim hæc per se non potest  
non allicere animos omnium, adeoque  
amores sui mirabiles excitat, propte-  
rea quod multiplicium, & in vita uti-  
lissimorum exemplorum copiam sup-  
peditat, ac verè puer semper sit, qui  
quid anteq̃ natus est, acciderit, igno-  
rat: solet tamen vt difficilior, ita & in-  
fructuosior esse, nisi eiusmodi aliquibus  
adminiculis subleuetur. Cùm quidem  
Eustathius inter historiæ partes τὸ γυναι-  
αλογικόν nominare quartam non dubi-  
târit. Estq̃ omninò illustri genere edi-  
tis dignum, familiarum etiam illustrium  
profapias habere cognitâs. Quando-  
quidem in gentibus ferè omnibus De-  
us opt. max. harum aliquas excitauit,  
excitatas defendit atque ornauit,  
idq̃ tantisper, donec vel gentes ipsas  
florere voluit, vel familiæ illæ virtutis  
studium retinere. Iccirco eam subie-  
cti animi testificationem nostram acci-  
piat Excels. T. clementer: scripto ipso

A 5      fruas



fruat<sup>r</sup> feliciter, precor & opto. Enim<sup>us</sup>  
uerò affert de confirmatione sapien<sup>t</sup>  
tum, ipsaq<sup>ue</sup> experientia<sup>e</sup> obseruatione,  
ad virtutis studium calcar ingens, eo  
genitum loco, ijs parentibus, maiorib<sup>us</sup>  
busue, vnde dignitas gloria<sup>e</sup>q<sup>ue</sup> splendor  
emicat. At cui apertum non est, ceu do<sup>ct</sup>  
tatam parte ea Excels. T. diuina mun<sup>er</sup>  
ificentia eximie? Nam vt praeteream  
reliqua generosae Kurtzbachiae domus  
ornamenta, atque in Rempub. merita;  
vtpote ad quae praedicanda ingenij nos<sup>tr</sup>  
stri tenuitas impar sit: nouimus illu<sup>str</sup>  
stem Dominum, Dn. GVLIEL<sup>m</sup>  
MVM, patrem, ea sapientiae virtutis<sup>que</sup>  
que fama, ea claritate extitisse, vt à  
MAXIMILIANO II. Caesare,  
Camerae, quam vocant, in Silesia praes<sup>es</sup>  
ses lectus sit. In quo munere ita se pro<sup>ba</sup>  
bavit cum ordinibus caeteris, tum in<sup>pr</sup>  
primis inclytæ ciuitati Vratislaviae, vt  
memoriam nominis sui cum desiderio  
omnium immortalem reliquerit. Ergò  
ad quam intendendo quodam naturæ  
generosiss, ductu Excels. T. graditur  
virtus



virtutis viam, his vestigijs persequetur  
constantius. Ac promouebit plurimum  
vim insitam, vt loquitur Venus  
sinus Poëta, vel potius vtrunq; doctrina:  
quam quia percipit nunc Excels.  
T. liberalem, dignamq; ordine eo à  
præceptore Daniele Princio, viro do-  
ctrinæ eruditione & virtute ornatiss.  
nos attigisse ea, quàm explicando in-  
culcasse, satius fuerit. Cumq; hoc sin-  
gulariter studiorum genus, certè viris  
principibus, quiq; alijs locum in Repub.  
spectatum ambiunt, maximè necessa-  
rium, voluntate Excels: T. illustri com-  
plectatur, etiam ijs, qui tractando illi  
operam dicârunt suam, nauare eandem  
clementi propensione dignabitur. Nam  
quàm hæc cura rara esse cœperit, quàm  
liberale in studijs ferè nihil iam ducatur,  
quod non idem quæstuosum sit,  
experientia cognoscere licet. Cùm  
interim inexplicata relinquuntur in his-  
torijs plurima, quòd qui eam rem præ-  
stare satagant, vel præstare omninò  
possint,



possint, reperiantur paucissimi. Bene  
& feliciter valeat Excels. Tua. Lipsia  
Mensis Aprilis, Die xxvij.  
M. D. LXXII.





QVI ARMENI  
AM TERMINARINT VA  
RIARINTQUE LIMITES: QUÆ  
*eius nomina celebrentur, qui coloni,  
quæ imperia, & hæc per quas ad  
ministrata sint familias.*

**T**ERRA ARMENIA CVM  
finibus principio angusta esset, re-  
gum amplificata uirtute creuit. Qua  
de re à Geographis explicatum dili-  
gentius, hinc accuratiore explicatio-  
ne plura ut adijciamus, opus non est. Strabo tamen  
isto maxime nomine ARTAXIAM & ZA-  
DRIADRIN celebrat. Hi enim cum regno per-  
uim acquisito, nondum tamen cupiditates suas exple-  
uissent, in prouincias uicinas inuaserunt, idq; succes-  
su tanto, ut de singulis aliquid decerpserint. Nam  
Medis Caspianam ademerunt & Phauniten & Ba-  
soropedam: Iberis circummontanam Pæadri regio-  
nem, & Chorzenam & Gogaritam trans Cyrum:  
Chalybum gentibus & Mossynæcis Parenetam &  
Xerxenam, quæ Armeniæ minori conterminæ uel  
eius partes sunt: Cataonibus Aclesinam & regio-  
nem, quæ circa Antitaurum est: Syris uerò Tamo-  
nitam. Quibus quidem certè tot & tantis aucta  
Armenia accessionibus, finium amplitudine, potens  
tis



tia & dignitate ea esse ccepit, ut cum inter sui temporis regna primas Parthie deferat Iustinus, hanc secundo loco ponat. Et introducta hac occasione primum est eius in maiorem & minorem distinctio. Tametsi Strabo maiorem proprie Armeniam nuncupet, quam eandem consuetudinem & alios quosdam sequi uidemus, qui de Armenia loquentes, maiorem ferè intelligunt, & ab hac alteram, expressa minoris appellatione, discernunt.

Primum de Armenia & antiquissimum literæ sacræ nomen usurpant ARARAT, quod extat Gen. 8. 4. Reg. 19. Esaiæ. 37. Habet idem Ieremias cap. 51. sed alterum ei subiicit, MENANI, de quo certi nihil interpretes afferunt. Quamquam si spectare & sequi sonum licet, uicinæ huic appellationes, MANNES & MÆONES, quibus Strabo Mysos accipit: Nisi quòd situs gentis huius ab Armenia longinquior est: cum fieri tamen hoc potuerit, ut aliqui cum Ascanijs, de quibus post à nobis mentio fiet, isthuc immigrarint. Apparet autem hoc terram illam uocatam nomine fuisse à montibus, qui eam ueluti indagine quadam cingunt: modo nempe et consuetudine non dissimili, quo in Germania urbs & ditio Bergensis à situ montoso denominatæ. Har enim Ebræis mons est: à quo neq; Græcum ὄρος & multum deflectit, ac conuenit propius Henetum Hora. Et creditur, è Græcis ARCADAS ab eadem notione nomen  
acce



accepisse, cum fuerint Cetei. Vt neq; improbanda  
illorum sit coniectura, qui ARBELA ( Fuit  
autem id urbis nomen in Assyria, à qua diuersa est  
Gaugometa, nobilitata Alexandri tertia de Persis  
uictoria ) interpretantur montem Beli uel Baal :  
fortè à templi religione et cultu, quo Deastrum illi  
Asiaticæ gentes solemnibus aliquibus conuentibus,  
uel ad oraculorum ressonsa sciscitanda, uel ad sa-  
crificia peragenda, institutis, ibi ueneratæ sunt.  
Nam Belus Græcis Apollo fuisse uidetur, sono ap-  
pellationis utriusq; non ita multum uariante. Me-  
minit montis Armenij commentator Dionysij, Eu-  
stathius. Is enim fortè interpretatione Ararat est,  
idem uidelicet, qui arcam Nohe excepit unus è  
Gordyæis montibus. Hos enim per Ararat præter  
Haytonem etiam Boccatius accipit. Et alludit huc  
nomen BARIS, quod de eodem monte citat è  
Nicolao Damasceno Iosephus Ant. Iudaic. li. 1. cap.  
4. quem locum uisum fuit adijcere : Est, inquit, su-  
per regionem Minyarum magnus mons in Arme- >>  
nia, nomine Baris, in quo multos profugos diluuij >>  
tempore asseruatos ferūt, et quendam arca uectum >>  
in huius uertice hæsisse, ac reliquias lignorum eius >>  
longo tempore durauisse. Nec discrepat Berosi >>  
testimonium, adductum ibidem in hanc sententiam : >>  
Fertur & nauigij huius pars in Armenia apud >>  
montem Gordyæorum superesse, & quosdam bitu- >>  
men inde abrasum secum reportare, quo uice amu- >>  
leti eius loci homines uti solent &c.

Quam



Quamquam Iosephus ipse alibi hac de re uarians, in  
Cæro regione asseruatas arcæ reliquias, ait. Cui Hie-  
ronymus addidit, ad sua tempora usq; uestigia eius  
permanfisse, & locum ipsum ab Armenijs exitum  
uel egressum appellatum fuisse. Sed usu nomen Aras-  
rat obtriuuit uel aboleuit alterum recentius, & à  
scriptoribus Græcis retentum solum, ARMENIA.  
Quod tamen ipsum etiam alludere ad pri-  
mum, Ararat, uidetur. Nam quæ Græci asserunt  
etyma ab Armeno, quem alij Rhodium, alij heroa  
Thessalum, Iasonis socium faciunt, repudiamus. Et  
quia Ieremias, ut diximus, cum Ararat coniungit  
MENNÏ, nos ex utroq; composito, & in dictio-  
nem unam contracto, appellatam Armeniam cense-  
mus. Tametsi posterioris, Menni, & origo & cau-  
sa ab autoribus nulla traditur. In nostri temporis  
uiris doctis Iohannes Mathesius ad metallorum ubera-  
tatem retulit, Armeniam significato exponendo mi-  
nij uel metallorum montes. Estq; ei sono uicinum,  
uel potius idem, uocabulum Meni apud Esaiam uas-  
tem cap. 65. quo Mercurius denotatur, cultus à mer-  
catoribus, ut feliciores essent in negotiationibus.  
Certè opulentiam Armeniæ ingentem extitisse, etiam  
Strabo probare inde conatur, quòd TIGRANES  
multatus à Pompeio 6000. talentorum, mox Ro-  
manorum copijs dona uiritim distribuit, militi qui-  
dem quinquagenas drachmas, centurioni millenas,  
chiliarchis talentum. Et fortè Armeniæ denomina-  
tione origo ea expressa est, qua & IBERIS uicinis  
nomen



nomen datum, hoc est, à metallorum perscrutatio-  
ne. Nam Bor, unde appellatos aliqui Iberos uolunt,  
Ebraeis foueam significat, item cisternam. Etsi ipse  
Germanicam potius notionem probarem, die *Hies-  
ber / Bergtheuer*. Etenim adhuc hodie Iberiam  
uenas uberes habere, certum est. Cumq; quæstus  
& lucrum, cuius è re quauis odorem bonum pro-  
nunciauit Satyricus, etiam studium in Iberis circa  
metalla accendisset, colonijs ijs origo data est, quas  
deduxere primum in Siciliam & Italiam, deinde  
in Hispaniam. Nam utrosq; orientales & occi-  
dentales, stirpis eiusdem fuisse, consentiunt omnes.  
Enimvero & in eo Armenijs & Iberis (ut hoc  
quoq; παρῆς γωῆ inseramus) par fortuna accidit,  
quod sicuti religionis Christianæ professionem in  
tempore eodem amplexi sunt, ita deinde perpetuò,  
& ad nostra usq; tempora cum Albanis ex Asiatis  
gentibus soli eam retinere. Vnde Iberi singula-  
riter infestissimos habent Turcos: qui & de nomi-  
ne ipsorum (est hoc hodie Georgiani) Christianos  
omnes per contumeliam nuncupant barbarica  
enunciatione *Gyaur*.

Coloni Armeniæ, præter veteres  
ARMENIOS, bellis regum accessere: M E-  
DI, IBERI, CHALYBES, MOSSYNOE-  
CI, SYRI: quibus Græci & Nicolaus Dama-  
scenus apud Iosephum addunt MINIAS, ad quos  
quidem Minyas etiam referenda tantum, quæ de  
B oris



origine Armeniorum iſdem tradiderc. Nā ceteros  
hoc in loco præterimus, & extant de illis alibi ex-  
positiones noſtræ exquisitioreſ. Ac ſuas Herodoto  
& Stephano probandas relinquimus fabulas, qui-  
bus Armenios Phrygum faciunt ſobolem, et Phry-  
giæ linguæ uocabula multa retinuiſſe, memorant.  
Eſi Phrygas colonos, hoc eſt A S C A N I O S in-  
ſediſſe in Armenia, non negārim. Quippe et Iere-  
mias uates cum Ararat et Menni nominat Aſcenas,  
poſito ſcilicet Ebraicæ linguæ conſuetudine condi-  
toris nomine pro gente ipſa. Atq; haud ſcio, an non  
per eoſdem Germanicæ linguæ uſus in Armeniam  
primū introductus ſit. Enimucrō neq; poſterio-  
ribus ſeculis hunc ceſſaſſe, FRIDERICI Bar-  
baroſſe hiſtoria docet. Niſi fortè quiſ G A L A-  
T A S, irruptionum Saracenicarum & Turcica-  
rum formidine, iſthuc quaſi ſecedendo conſugiſſe,  
malit: Quam ſententiam Iouij de A L A D V L O  
hiſtoria non obſcurè confirmat. Fitq; omninò ueria-  
ſimile, etiam nominis, A R T A X I A S, noſtras  
gentes autores fuiſſe, cum ſit Saxonicum Hertoge/  
dux. Etenim dignitatis quoq; fuiſſe, inde patet,  
quòd Z E N O N I Polemonis poſt regnum ſuſce-  
ptum tributum eſt. Et G V R A S, alludit ſono ad  
Germanicum Cunradus, abiecta nimirum .n. li-  
tera eo modo, quo Myſnica dialectus ex Henrico  
pronunciat Hericus, quod adhuc craſſius mutando  
Cordus Heſſus in Euricium detorſit. Nec diſcerno  
tertium, Artuaſdes, à noſtro Ehrueſt/ quod  
enim



enunciacione similiter deprauata Cafari est Ario  
uistus, Floro Ariobisto, Polybio Arnoestus. Quan-  
quam hæc magis coniecturis, quàm argumentis cer-  
tis & euidentibus nituntur. Porro autem Iosephus  
explicando de Armenijs enodatus gentem deriuauit  
ob Otro, filio Arami. Is in literis sacris H V L nos  
minatur, teste D. Hieronymo, qui quidem et ipse ab  
ea stirpe Armeniorum propaginem deduxit. Ut  
mirari quis de Iosepho merito possit, quas nomen il-  
lud immutandi rationes secutus sit: etsi suspicari  
possumus, ut in alijs plerisque, Ebræorum usum com-  
mentarijs. Ergo origo Armeniorum Syriaca est.  
Nam conditos Syros ab Aramo, filio Sem, Esaia li-  
quidum facit uaticinium cap. 7. Et pertinet huc,  
quod Strabo Syrijs, Armenijs, Arabibus, ut mores  
& corporis figuram, ita & linguam eandem attri-  
buit. Neque nomina hæc: A R A M E I (id de se  
Syri lingua patria usurpârunt) Arabes, Armenij,  
aliter idem autor, quàm usurpatione discernit, &  
gentem unam in tres distinctam censet, ita, ut tan-  
tummodo in nominis enunciacione facta sit muta-  
tio: Quia, inquit, nominum mutationes permulte  
sunt, præsertim barbarorum. Et alibi: Vocabuli  
mutatio multa & cunctis in gentibus extitit. Tam-  
etsi de Arabibus, ut de nomine quidem facile hoc  
concesserim, ita de origine prorsus dissentio. Est  
enim hæc ab I S M A E L E, filio Abrahami: quam  
de se peculiariter ut testificarentur S A R A C E-  
N I, eam appellationem pro antiquiore, A G A-  
B 2 R E N I,



**R**ENI, induisse, creduntur. Atq; è contrario, ut originem istam Armeniorum retineo, ita nomen non in terram Armeniam eos inuexisse, sed ab hac mutuatos accepisse, statuo, deposito auito & gentilitio Aramei: planè ad eum modum, quo **B O I E M I A** primùm Marcomannis, à quibus Bauarorum & prosapia, deinde Czechis Statuis denominationem dedit. Neq; à uero alienum est, etiam apud uicinos usum eius facilius inualuisse, quo sono ad alterum, Aramei, accedit propius.

**D**e regno Armeniae sanè id credamus, quod scripsit Berofus, nempe hoc cum gente ipsa coepisse: cum fortè in colonia ductorem primùm translatum esset. Quanquam ceteroquin uetustissimorum regum potestas maior non fuerit. Ac nomen regis primi idem Berofus **S C Y T H A** facit, eiq; subiungit **B A R Z A N E M**. Quod de hoc equidem ut libenter admiscrim, ita illud, ceu figmentum inane, reijcio penitus. Nam praeterquam quòd nominis Scythia usurpatio longè posterior est, etiam de Barzane mox in errorem crassum prolabitur, hunc à **N I N O** superatum affirmando: cum uerior & grauior autor Diodorus tradiderit, spontè cum **N I N O** pacificatum, itaq; regnum ipsum conseruatum, retinuisse. Ergò à **B A R Z A N E** rectè Armeniaci regni sumitur initium, quod etiam in dominatus alieni seruitute mutationes habuisse uarias, argumenta multa docent.

Plinius



Plinius quidem certè innuit, in regna plura Armeniam discriptam fuisse: in quibus regnis ADRAZARVS Sophenus bellum ingens fecit contra DAVIDEM. Neq; SARDANAPALI interitu libertatem Armenijs redijse, Sadrassaris & Adramelechi, filiorum SENNACHERIBI, ostendit Historia. Hi enim patre iugulato, ista huc confugere, cum fortè beneficijs aliquibus gentem sibi obligassent, itaq; ad belli societatem perduxissent. Et infestiores mox hostes urfere Armenios Medorum reges, è quibus ASTYAGES eos uectigales fecit, ut testatur Xenophon. Attamen tum etiam Armenia in regum indigenarum potestate mansit. Atq; is, quem CYRVS bello oppugnavit, filios reliquit TIGRANEM & SABARIM. In quibus equidem stirpem regiam defecisse totam crediderim, & translatae Armeniam ad Persas. Nam inter Xerxis auxilia absq; regum mentione nominat Armenios Herodotus, cum tamen subijciat his Phoenices, & singulariter ARTEMISIAE historiam explicet diligentissimè. Legimus etiam apud Diodorum, sub ARTAXERXE Mnemone, Satrapæ imperio Armeniæ præfuisse TERIBAZVM. Cui addit Iustinus, DARIVM Codomanum ex Armeniæ præfectura ad regnum cuocatum. Quin & Strabo tributum definiuit, quod Armeniæ Satrapa quotannis regi Persarum pependerit, nimirum pullos equimos 20000. Nam Herodotus uarians, Armeniæ cum





vicinis aliquot tractibus ac regionibus imperatum à DARIO Hystaspis stipendium ait talenta 400.

Cessat igitur regum in Armenijs imperium sub Persarum monarchia. Quam cum uicto, & perempto suorum perfidia Dario Codomano, occupasset ALEXANDER Magnus, Satrapam Armeniæ præfecit MYTHRENEM, qui Sardium antea Prætor fuerat. Huic postmodo surrogatus à Perdicca PHRATAPHERNES, successorum habuit ORONTEM, oriundum à stirpe Hydarnis, unius è septem, teste Strabone: in quo Satraparum huius temporis dominatum cessasse, et Armeniam iterum regibus subditam, Diodorus falso scripsit. Possedit enim eam & ANTIGONVS, μονόφθαλμος, & hoc euerso itidem retinuit atq; ad posteros transmisit SELEVCVS. Ac mansere in fide horum præfecti, qui pro regum arbitrio constituerentur, usq; ad ANTI-  
OCHVM Magnum, Seleuci abnepotem. Tum enim ZADRIADRIS & ARTAXIAS, illecti, impunitatis spe, quam & regni turbæ multiplices, & regis ætas immatura policerentur, per defectionem rebellant, Armeniam ui & armis sibi uendicant, & auctam accessionibus nonnullis in regna duo, maioris & minoris Armeniæ nominibus distincta, diuidunt, eaq; fortiter ab Antiocho defensa, possidenda etiam posteris relinquunt. De quibus regnis, quæ post uetera illa terræ huius uideri



deri secunda possent, proposita explicatio nostra  
consumetur. Cesserat autem ista in diuisione Arme-  
nia minor ZADRIADRI, maior ARTA-  
XIÆ. Nam sequor Strabonem, à quo dissentiens  
Appianus, belli ciuilibus regnasse in Ar-  
menijs cis euphratenis ARTAPEN, ait: ut plu-  
ra tribuere Armeniæ regna uideatur. Atq; factum  
sanè è causa eadem, ut & posteri illorum potentia  
dissimili regnârint: cum obscuritate nominis initio  
pari essent. Etenim desiderantur in utraq; familia  
successores proximiores. Quod transgrediendo iã  
ad minoris Armeniæ regnum ZADRIADRIS  
posteritate primùm ut enodemus, solus inde adeoq;  
postremus, nominatur ARTANES. Nam uis-  
ctus à TIGRANE, uitaq; expulsus, occupan-  
dum huic regnum reliquit, & familiam simul in-  
teritu suo finiit. Sed tamen excutit aliquanto post  
TIGRANEM rursus POMPEIUS, & re-  
gnare in Armenia minore DEIOTARVM  
permittit. Cuius familiam in hac serie alteram facia-  
mus: Quanquam diuturna non fuerit extincta nem-  
pe in successore filio. Quam quidem huius succe-  
sionem, etsi nusquam ab autoribus traditam, nos ta-  
men inde colligimus, quòd ANTONIO bello  
Actiaco auxiliares copias adduxit. Quia enim  
absq; sumtu ingenti id fieri nequiuit, in imperio  
aliquo fuerit necesse est: & apparet regnum ei ad  
Cesarem transfugio conseruatum. Post hunc  
diuersorum in minori Armenia imperia memoran-



tur. E quibus ARTVASDEM Medum exce-  
pere POLEMON, ARCHELAUS Cap-  
padox, COTYS. Verum horum familias, ut nihil  
admodum ad institutum pertinentes omittimus:  
Estq; de Polemone & Coty, quorum genus ad rea-  
ges Ponticos & Bosporanos pertinet, explicatum  
à nobis alibi diligentius. Surrogatur autem Cotyi  
à Nerone Imp. ARISTOBVLVS, Herodis  
Magni ex Aristobulo F. pronepos: & peruenit  
deinde eadem dignitas ad propinquum illius TI-  
GRANEM. Sed extat & de hac stirpe histo-  
ria plenior reuerendi uiri D. Pauli Eberi. Cumq;  
Tigranis filius ALEXANDER, paternæ hæ-  
reditatis successione exclusus, in Cilicia regnârit,  
teste Iosepho, regnum hoc Romani imperij prouin-  
ciam factum tum suspicor. Neq; enim reges deinde  
huius alij referuntur. Et nota VESPASIA-  
NI Imp. cuius temporibus hæc accidere, infamis,  
& Poëtarum Satyris exagitata auaritia, cum alio  
qui princeps ille minimè malus esset, & ut Suez-  
tonius ait, pecuniam malè partam collocaret opti-  
mè. Nam præter collectum ex urina tributum, &  
institutas per spongas (eo notabantur nomine, quo-  
rum istam ad rem uteretur ministerio) expilatio-  
nes, etiam Græciæ concessam à Nerone libertatem  
ademit, cauillatus, eam seruitio assuctam, uti iam  
illa dedidicisse. Ut omninò uerisimile fiat, & Ara-  
menie minori compedes iniectas, nihil non scilicet  
Imperatore tentante, ut ærarij angustias suppleret.



In maiore Armenia ex ARTAXIÆ familia, quæ & ipsa, ut diximus, reges aliquot famæ et nominis obscuri habuit, primus inclaruit TIGRANES I. cui rerum gestarum amplitudo Magni cognomentum peperit. Eius posteritas, exposita præcipuè à Iosepho, Dione & Tacito usq; ad pronepotem duravit. Nam ARTVASDEM II. quem solus Velleius nomine exprimit, Artaxiæ II. filium facimus. Etsi qua potentia regnum, bellis feliciter gestis extulit Tigranes, ea post cladibus suis servitute depressit. Etenim ceu Romanis pacificatus conditionibus gravissimis, hoc etiam imprudens admisit iugum, ut rectores dehinc à Romanis Armenia acciperet, ut loquitur Florus. Quæ res ut regno clades multiplices attulit, ita familie interitum acceleravit, acerbè ius illud post Antonium usurpante AVGVSTO Cæsare. Cumq; tandem invidia huius regno illa excluderetur, conseruare se amplius in fortuna priuata nequiuit, atq; extinguitur mox sub TIBERIO successore. A quo quidem tempore fortuna uaria à regibus uarijs regnatum in Armenia accepimus. Quos inter post primum ARIOBARZANEM Medum, imperavit ERATO mulier. Hanc insecuti sunt ZENO, ARSACES, MITHRADATES, RHADAMIS LVSTIGRANES, TIRADATES, è familijs regum Bosporanorum, Parthicorum, Ibericorum & Iudaicorum. Sub Traiano Cæsare floruit PARTHAMASIRIS,

B S SIRIS,



SIRIS, seu Sarmatus, ut uocat Eutropius: quo uicto  
& caeso, etsi Armeniã in prouinciam Traianus re-  
degit, mox tamen dimisit Adrianus, & regnum con-  
cessit PARTHANASPATI. Ac meminẽ-  
re exinde regum, SANATRUCIS Suidas,  
ARTABASDIS & ARSACIS, quorum  
ille ad Valeriani, hic ad Iouiniani imperium perti-  
net, Trebellius Pollio & Marcellinus. Cùm interea  
etiam nunc Romanis ducibus, ut nuncupat Lampridius,  
nunc Parthis, & Persis, Armenia paruisset, et  
sequentibus temporibus inter Romanos & Persas  
causa ærumnarum perpetua esset, ut scripsit Am-  
mianus. Iccircò commemorationem de his nostram  
abrumpo, neq; de familijs q. idquam adijcio, quod  
repeti Bosporani & Parthici è commentarijs no-  
stris, quos de utrisq; separatim edidimus, rectius  
possint, ut Iudaici ex D. Pauli Eberi historia. Atq;  
præter Ibericos reliqui omninò sunt obscuriores:  
et de SANATRUCE ne tempus quidem, quo  
uixit, annotatur, cum tamen uirtus eius eximia fue-  
rit. Sic enim Suidas: Sanatruces, Armeniorum rex,  
corpore mediocri, animo ad omnia magno, imprimis  
uero ad res bellicas. Fuit & iusticiæ accuratus cus-  
tos, et in uictu non minus quàm optimi quiq; Græ-  
corũ & Romanorum frugalis &c. Quapropter de  
Ibericis solis nõnulla admonitionis loco subiiciemus.  
Quorum initium facio in ARTOCE. Hoc ge-  
nitus PHARNABAZVS filiũ reliquit Mi-  
thradatem, à quo deinde reliquam propaginem usq;  
ad



ad RHADAMISLV M postremum Dion deducit. Is enim cum parricidio in patrum, Seuitia in optimates, populi à se studia alienasset, per seditionem pellitur, & regnum iterum ad Parthos transfertur.

## FAMILIÆ RE GV M ARME NIÆ.

**O**Rdior de Armeniacis familijs explicatio nem in minoris Armeniæ regibus, quòd uti fama nominis obscuriore, ita & tempore breuiore regnârint. In quibus, ut demonstraui mus, prima est stirps & posteritas ZADRIADRIS.

ZADRIADRIS, enituit inter duces ANTIOCHI Magni. Cuius munifico studio Armeniæ præfectura honoratus cum collega ARTAXIA, nouorum hunc consiliorum socium assumit, & prouinciam armis communibus in potestatem redactam, ac iam quaqua uersus accessionibus auctam, ei parte maiore permittit, altera, qua nempe Ciliciæ uicinior est, cum Armeniæ minoris nomine sibi retenta. Igitur bello regis graui opâ pugnatus, pacem ei mora & ausis fortibus extorquet, ac usurpatum inde nomen & dignitatem regiam, Romanorum socitate tuetur, atq; ad posteros transmittit Strabo.

Desideratur ZADRIADRIS posteritas  
etatum



etatum aliquot serie interrupta, usq; ad ARTA-  
NEM, qui quidem ex ea solus & postremus no-  
mine exprimitur. Nam TIGRANIS armis  
lacebitus, & conflare cum eo ausus, cadit in acie.  
Strabo.

## FAMILIA DEIO- TARI.

DEIOTARVS I. gente Galata, surro-  
gatur patri in TOLISTOBOGIORVM  
tetrarchia: & iunctus societate Romanis contra  
MITHRADATEM, duces huius oppressos  
memorabili praelio cedit. Ideo honoratur à LV-  
CVLLO, augetur à POMPEIO: & praeter  
Galatiae omnis acquisitum imperium, REX  
Armeniae minoris, quam Pompeius attribuerat,  
amicus P. R. à Senatu salutatur. Bello civili  
pro optimatum partibus cum Pompeio propuga-  
nat, adductis ei auxiliaris equitibus 600: atq; in  
hoc perseverando, depugnare in praelio Pharsalia-  
co ausus contra Caesarem, interea Armeniam à  
PHARNACE occupatam amittit, nec multo  
post cladem nouam cum Cn. Domitio Caluino ac-  
cipit. Quibus tot circumuentus & fractus diffi-  
cultatibus, cum Pharnace debellato supplex in Cae-  
saris fidem se contulisset, regijs insignibus deposi-  
tis, BRVTI opera ueniam impetrat, mulctatus  
tamen tetrarchiae Galatiae imperio, & pecuniam  
dependere grandem iussus. Iterum destructis uitae  
insidijs apud Caesarem accusatus à CASTORE,  
defensa



defenditur ab eodem Bruto & Cicerone:  
& scelus id uindicat in nepote crudeliter, hoc iugulato cum filia, & castello, quo regia ille usus esset, à fundamentis euerso. Post Cæsaris cædem nouis repub. Romana tumultibus turbata, magis gratiæ referendæ studio, quàm quòd causam probaret, Bruto adheret, & auxilio ei per AMYNATAM scribam subministrat. Quæ cum hic deinde transfugio ad ANTONIVM adduxisset, & sibi ad Galatiæ regnum aditum parat, & Deiotaro tum regni tum uitæ incolumitatem præstat. Moritur anno V. C. DCC. XIII. Plutarchus, Appianus, Dion, Suidas, Cæsar, Cicero, Lucanus, Florius, Orosius, Eutropius, Sex. Rufus. Habuit coniunctissimos in Romanis proceribus, SYLLAM, Pompeium, CATONEM, Ciceronem, Brutum. Quæ de re Cicero explicans Philip. II. Deiotari regis, inquit, & patris & filij & magnus & nostro more instructus exercitus. Summa in filio spes, summa ingenij in doles, summaq; uirtus. Quid dicam de patre? cuius beneuolentia in populum Romanum est ipsius æqualis ætati: qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, sed etiam dux copiarum suarum. Quæ de illo uiro Sylla? quæ Murena? quæ Seruilius? quæ Lucullus? quam ornate, quam honorifice, quam grauius sæpè in Senatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompcio loquar, qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, uereq; beneuolum,  
unum



unum fidelem populo Romano iudicavit &c. Citat  
Bruti orationem pro Deiotaro Tacitus: & Cice-  
ronis etiamnum hodie extat, quam in epistolis Do-  
labellæ genero communicans: Oratiunculam pro  
Deiotaro, inquit, quam requirebas, habebam me-  
cum, quod non putâram: Itaq; eam tibi misi: quam  
uelim ita legas, ut causam tenuem & inopem, nec  
scriptione magnoperè dignam, sed ego hospiti uete-  
ri & amico munusculum mittere uolui leuidense,  
crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera.  
Idem elogium de Deiotaro insigne habet lib. 15.  
Epist. fam. A Valerio traditum est, nihil cum una-  
quam nisi auspiciatò egisse: qua eadem de re, et ma-  
ligni spiritus circa hanc illusionem manifesta, plura  
Cicero de diuinatione. Nomen aliqui depraua-  
tum censent à Germanico Ditterich: sed sonus  
propior est alteri item in Saxonica dialecto usita-  
to Dethard / quod significatione exprimit DEI  
robur. Nam usos Germanica lingua GALA-  
TAS, alibi argumentis multis ostendimus, & as-  
firmat idem disertè in comment. in epist. ad Galat-  
tas D. Hieronymus. Vbi quidem gentile stolidita-  
tis uitium, quod toties inculcant Liuius & Iusti-  
nus, etiam Apostolus eis exprobrasse uidetur. No-  
minat enim Cap 3. ἀνοήτους.

Coniugem Deiotaro Plutarchus attribuit  
STRATONICAM. Quæ cum sterilis esset,  
memorabili pietatis & moderationis gentilis ex-  
emplo, ex alia ut liberos gigneret, uiro autor fit,  
id.



idq; ubi persuasisset, **ELECTRAM** ipsi ancillam collocat, & genitos inde filios tanquam legitimos ingenuè, liberaliterq; educat. Nominatur autem è filijs hisce unicus **DEIOTARVS**, in quem solum ut regnum & opes pater transferret, nefario crudelitatis exemplo reliquos iugulauit omnes, cum fortè Castoris scelus hanc in ipso accidisset. In filiabus tantum eius, quam Castor matrem habuit, autores mentionem faciunt.

**DEIOTARVS II.** Salutatur Rex à Senatu, patre adhuc superstite. Cuius indulgentia reliquis liberis praelatus, regni hereditate solus potitur. Bello Actiaco partes **ANTONII** propugnandas suscepit: de quibus deinde desperans, cum **AMYNTA** ad Cæsarem transfugit, itaq; se regnumq; conseruat. Plutarchus. Meminit Cicero pro Deiotaro & Philipp. ii. ad Att. Epist. lib. 5.

Filia Deiotari  $\alpha\upsilon\delta\upsilon\upsilon\mu$   $\Theta$ , nupsit patri Castoris, qui Straboni **SAOCONDARIVS** est: & familiam huius antea obscuram & abiectam è tenebris in lucem uocat. Autor est Cicero pro Deiotaro. Nam Strabo ab hanc sententia planè discrepans, Castori ipsi eam adiungit uxorem, & cum illo interfectam à patre, ait. Quod nos in medio relinquimus: cum iterum de eadem re ita uariando explicet Suidas: **CASTOR**, inquit, Rhodius, uel (ut quidam tradunt) Galata: ut uerò alij, Massiliensis Orator Philoromæus ab amore Romanorum dictus: ducta uxore Deiotari filia, ab



lia, ab eo unà cum coniuge est interfectus, quòd il-  
lum apud Cæsarem criminatus esset. Scripsit duo-  
bus libris de Babylone: Catalogum eorum, qui in  
mari dominati fuerunt: Annalium ignorationes:  
de epicherematis lib. 5. de persuadendo lib. 2. de  
Nilo, artem dicendi & alia &c. Cæsari Castor  
Tarcondarius dicitur, quod haud scio an non è pa-  
tris Sarcondarij nomine corruptum sit.

DEIOTARVS II. in matrimonio ha-  
buit filiam Artuasdis, regis Armeniæ maioris: Sed  
soboles ex ea suscepta nulla additur.



FAMILIÆ RE-  
GV M ARMENIÆ  
MAIORIS.

FAMILIA AR-  
TAXIÆ.

ARTAXIAS I. administrat cum ZA-  
ADRIADRI Armeniam præfectus sub  
ANTIOCHO Magno. Eius despiciatus æta-  
tem, ac tum Zadriadrus societate, tum cæterorum  
Asiæ



Asie superioris Satraparum accensus exemplo, arma per defectionem capit, & prouinciae partem, qua septentriones illa spectat, in potestatem susceptam sibi uendicat. Quod tam audax facinus cum & Regem tandem ad bellum exciuisset, ipse suam secutus fortunam, rem gerit fortiter, & regnum huic extortum, etiam Romanorum confederatorum autoritate retinet. Accepit hospitio ANNIBALEM exulem, & urbem hortatu huius aedificari coeptam, appellari de suo nomine permittit, et regia deinde cum successoribus utitur. Ab ANTI-  
OCHO Epiphane bello nouo lacesitus, temere cum eo praelium init, & clade graui prostratus, dum effugere cum paucis tentat, ab hoste insequente capitur, & superbi regis iussu inhumano in uinculis captiuus asseruatur. Strabo, Plutarchus, Appianus, Stephanus, D. Hieronymus in cap. ii. Daniel Pag. 604.

Deficit post ARTAXIAM stirpis successio & propagatio continua. Qua in re sorte non tam autorum culpanda negligentia, quam regum temporis huius accusanda ignauia, qui quod monus mentis commendaretur, dignum nihil peregrint. Etsi quae in usu posteris suere nomina, a maioribus primum usurpata ad eos manasse, credibile est. Unde & familiae & genti ipsi ceu hereditaria facta, reor. Etenim ZENONEM Polemonis post regnum susceptum Artaxiam cognominatum, constat: cum forte regni proceres neq; in nomine peregrinis

C

regrinis



regnum ferre uellent. Redditur autem familia ut potentia illustrior, ita & propaginis series iusta in TIGRANE & Gura fratribus, ad quam iam explicandam pergo.

TIGRANES I. cognominatus à Plinio Magnus, uixit adolescentulus obses apud Parthos: à quibus cum regni parte tradita se redemisset, fortis ausu hanc bello repetit, & hostem cladibus ijs afficit, ut regum nullus gentem illam uel laceſſiuerit ferocius, uel afflixerit acerbius. Hinc in Armeniam minorem inuadit, ARTANEM regem cum copijs occurrentem prælio acri sustinet, ac clade funesta superatum ditione & uita expellit. Euocatus ad regnum à Syrorum proceribus, magno id armorum apparatu petit, deturbatisq; Seleucidis, & Phœnicæ cum Ciliciæ parte recepta, CLEOPATRAM  $\sigma\epsilon\lambda\upsilon\omega\lambda\omega$  reginam, populum ad rebellionem accendentem, captam Seleuciæ Mesopotamiæ morte plectit. E quo tanto successu dum nihil non sibi sumit, & debellatis iam uicinis regibus, omnia potentia & fortuna sua inferiora ducit: etiam ARIOBARZANEM, inflatu Mithradatis Eupatoris, finibus eijs: & inescatus Cappadociæ præda, exitiali sibi totiq; regno instituto hunc deinde contra Romanos defendendum suscipit. Etenim uictus ad Tigranocerta strage horribili à LVCULLO (peditum enim 250000. equitum 50000. habuisse in exercitu traditur: cum Romanis tantum pars huius esset uigesima)



uigesima, ut loquitur apud Plutarchum & Suidam  
Liuius) et iterum ad Artaxata, tum domestico T I-  
G R A N I S filij bello oppugnatus, sponte se  
P O M P E I O dedit, animi abiectioe & despe-  
ratione tanta, ut & prouincijs acquisitis, sed à  
Lucullo iam recuperatis, cesserit & Pompeio ipsi,  
quem cidari capiti detracta, & in manus eius tra-  
dita, supplex adoraturus fuerat, 6000 talentorum  
multam, militibus singulis minam dimidiam ar-  
genti, centurioni minas decem, Tribuno talentum  
dona dederit, solumq; regnum paternum conserua-  
rit. De quo ipso quoq; post Tigranem hoste nouo  
usus S A R I A S T R E, ab hoc quidem per  
P H R A A T E M. II. regem Parthorum, bello  
aperto, ab illo accusationum criminibus atq; insidijs  
nefarijs oppugnatur: passurus itidem & à M I-  
T H R A D A T E clades graues, nisi fata hunc  
oppressum praeuertissent. Nam serò tandem cum  
Phrygibus (ut est in prouerbio) sapiendo, hunc  
tantae suae ruinae causam agnoscens, uictum noctur-  
no praelio ad Stellam montem, finibus prohibuit,  
& praemium centum talenta in eius caput atq; ui-  
tam constituit. Obijt anno aetatis quinto et octo-  
gesimo. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Lu-  
cianus, Suidas, Zonaras Xiphilinus, Cicero, Vel-  
leius, Valerius Maximus, Iustinus, Florus, Orosius,  
Sex, Rufus. Fuit fastu & arrogantiae leuitate in-  
credibili: Quippe qui praeter uanissimum R E-  
G I S R E G V M usurpatum titulum, reges eti-



am multos haberet ministros: è quibus quatuor  
tanquam stipatores semper eum comitati ita fuere,  
ut equitanti pedites iuxta currerent tunicati, se-  
denti & responsa danti astarent confertis inter se  
manibus: Quo Symbolo Seruitus indicabatur, qua-  
si tradita libertate corpora domino ad patien-  
dum magis quam ad agendum parata exhiberent,  
teste Plutarcho, qui & belli contra Romanos gesti  
initium collocat in annum regni ipsius uicesimum  
quintum. Condidit Tigranocerta urbem, duode-  
cim Græcarum urbium à se euersarum hominibus  
eò congregatis: quam interpretatur Stephanus è  
Parthorum lingua Tigranis urbem. Velleio dicitur  
regum maximus. Meminit Iosephus lib. 13. Ant.  
cap. 24. & in Syriam cum millibus quingentis ho-  
minum inuasisse, ait, regnante tum apud Iudæos  
ALEXANDRA, uidua Alexandri Iannei: cui  
addit Iustinus, regnum eius in Syria durasse  
ann. 15.

Guras, obtinuit cum imperio Nisibin, quæ  
Græcis Antiochea Mygdonia est: & obsessus à  
Lucullo, eiq; sese urbe expugnata dedere coactus,  
habetur humaniter. Plutarchus, Dion, Eutropius,  
Sex, Rufus.

Coniuges Tigranis ab autoribus referuntur  
duæ: prima CLEOPATRA, Mithradatis  
Eupatoris F. è qua nati filij duo ἄνδρες & TI-  
GRANES: altera ZOSIME, quæ edidit li-  
beros



beros, Sariaftrem, ARTVASDEM & filias  
duas ἀνωύμεζε. Plura de Zosime legantur apud  
Plutarchum in Pompeio, & Zonaram tomo 2.  
pag. 124.

E filijs Tigranis duobus ἀνωύμοιζε alter res  
bellans à patre in praelio interficitur, alter in uenatione, quòd prolapsus ipsum neglexisset attolle-  
re, & iacenti diadema ademtum imposuisset suo  
capiti. Appianus.

TIGRANES, donatur à patre corona,  
quòd in uenatione de uita periclitato, pij animi stu-  
dium suum probârat. Quòd deinde seu leuitate in-  
genita, seu purpuratorum inflatu, in odium crudele  
commutans, PHRAATIS Parthiope, cuius filie  
am uxorem duxerat, bello ipsum laceffit, idq; des-  
fendentem apud Pompeium parricidiali conatu ac-  
cusat. Ideo pro spe minus benignè auditus, & re-  
dire cum patre in gratiam iussus, tum ut quiesce-  
ret, donatus Armenia minore, atq; in spem partis  
Syrie & Cilicie potiundæ erectus, cum tali muni-  
ficentia nondum exaturatus, contra patrem conspi-  
ratione facta, etiam Pompeium superbè fastidiret,  
in uincula conijcitur, & Romam ad triumphum  
abducitur. Ibi depositus apud L. Flauium Senato-  
rem, & ad P. Clodij tribunatum usq; captiuus as-  
seruatus, astu eius pecunia corrupti, Flauio eripi-  
tur, & uel Pompeio inuito, maximeq; repugnante,



dimittitur. Plutarchus, Dion, Velleius, Florus,  
Asconius Pedianus.

Filia  $\alpha\epsilon\upsilon\omega\nu\nu\mu$   $\Theta$ , ducitur cum parente utroq;  
captiua in Pompeij triumpho. Plutarchus.

Sariaſter, deficit à patre poſt pacificationem  
cum POMPEIO inſtitutam: ductaq; Phraatis  
Parthi filia, hunc ad bellum in Armeniam conſe-  
ſtatur. Dion. Valerius ita in patrem conſenſiſſe  
cum amicis ait, ut omnes dextris manibus ſanguis-  
nem mitterent, cumq; inuicem ſorberent.

ARTVASES. I. manet è fratribus ſolus  
in patris fide, & huius deſuncti regnum ſucceſſio-  
ne excipit. De quo hoſte uſus MITHRA-  
TE Magno, rege Parthorum, non uirtute pro-  
pria, ſed calamitate illius ſalutem conſequitur. Be-  
lo Parthico fecit cum M. CRASSO: quod uin-  
dicaturum ORODEM, per filiam, quam Paco-  
ro collocarat, placat. Cumq; dehinc amicitiam cum  
Romanis remiſſam haberet, ad irruptiones Para-  
thorum in prouincias illorum ſerè coniuict, &  
ANTONIUM, cui tamen expeditionis eius  
ſuſcipiendæ autor præcipuus extiterat, uindicatu-  
rus ſcilicet per eum regis Medorum iniurias, deſe-  
rit turpiter. Ideò in odium inſeſtum omnium ue-  
nit: & fraude ab Antonio detentus, ductuſq; in  
triumphum Alexandriam, poſt annorum aliquot  
captiuitatem iuſſu eius perimitur, & caput regi  
Medie dono mittitur. Strabo, Joſephus, Plutar-  
chus,



ebus, Dion, Zonaras, Cicero, Velleius, Tacitus, Iu-  
stinus, Florus, Orosius. Variant de nominis scri-  
ptura autores mirificè: nam alij Artabazum, alij  
Artabanem, alij Artoadisten, alij Artuasdem, alij  
Artuasdem uocant: è quibus postremum retinere  
nos etiam uoluimus.

Filiarum ἀνωύμων altera nupsit MI-  
THRADATI Medo, altera collocatur ab Ar-  
tuasde fratre, PACORO Partho, Orodis regis  
F. Plutarchus, Dion.

ARTVASES liberos reliquit AR-  
TAXIAM. II. TIGRANEM. II. &  
filiam ἀνωύμων. A quibus Plutarchus discernit,  
quos cum parentibus Antonius Alexandriae in  
triumpho duxit: & addit de his Dion, denegatos  
Artaxiae, post Antonij interitum eos repertenti ab  
AVGVSTO Caesare.

ARTAXIAS. II. Artuasdis filiorum  
natu maximus, ut ait Iosephus, surrogatur patri, ab  
Antonio abducto. Cuius scelestam perfidiam bello  
uindicaturus, cum clade repellitur, moxq; finibus  
omnibus eicitur, & ad Parthos in exilium pro-  
truditur. Vbi cum auxilijs nouis instructus, in re-  
gnum iterum inuasisset, id uicto acie atq; profligato  
Medorum rege, cui permiserat Antonius, recu-  
perat. Perijt fraude suorum, qui accusatum apud  
Augustum Caesarem, ideoq; Tiberij ultioni tradi-  
tum ante aduentum huius iugularunt. Iosephus,  
Dion, Zonaras, Tacitus.



**TIGRANES. II.** euocatur ad regnum  
contra fratrem **ARTAXIAM**, & hoc perem-  
to, absq; armis recipitur. Nec multò post eandem  
expertus procerum malignitatem, regnoq; detur-  
batus, tandem apud **TIBERIVM** Cæsarem cas-  
pitis accersitur, & absq; uel familiaritatis pristi-  
næ, uel regij nominis respectu, ab hoc necatur. Iose-  
phus, Tacitus, Suctonius: è quibus Tacitus & li-  
berorum eius meminit, sed quibus neq; ipsis, etsi  
sociatis more externo in matrimonium regnumq;  
imperium diuturnum fuerit.

Filia  $\alpha\upsilon\omega\upsilon\upsilon\mu$   $\text{Q}$ , fuit in matrimonio Deio-  
tari II. regis minoris Armenia, Cicero.

Artaxiæ filium facio **ARTVASEM**  
II. qui iussu **AUGVSTI** Cæsaris post liberos  
**TIGRANIS** II. rex Armenia impositus à  
Tiberio, paulò post non sine Romanorum clade  
rursus deijcitur. Velleius, Tacitus, Defecit autem  
in hoc rege **TIGRANIS** Magni postea  
ritas, ijs, qui sequuntur, è familijs  
alienis ascitis.





FAMILIA REGVM IBERIÆ, QVÆ INTER EXTERNOS REGES POST TIGRANIS posteritatem extinctam tertia in Armenijs regnavit.

**A**RTOCES oppugnat bello Mithradatico cum OROEZE Albano Pompeium, coacto exercitu 7000. hominum: neq; conflagere cum hoste ausus, dumq; urgentem refugit, in saltus compulsus, ijs incensis, dona & obsides liberos dare cogitur, ac triumpho uberioris de se materiam præbet. Appianus, Suidas, Florus, Eutropius, Orosius, Sex, Rufus. Est & huius nominis scriptura diuersa: nam alijs Arsaces, alijs Arthoces, alijs Artocus, alijs Artoces dicitur. Quod postremum nos etiã assumimus, ut sit Germanicũ Saxonica dialecti Hertogedux, imperator. Nam qui in Colchide mansit lingue Germanicæ usus, is fortè & Iberiam occupavit. Et usitatum est scriptoribus, ut dignitatum & officiorum nomina pro uirorum proprijs referant. Quod idem alibi ostendimus de Colchicis Aëta, Medea, Dericha &c.

**P**HARNABAZVS, lacesitur bello à P. Canidio, duce Antonij, & prælio uictus, contra Albanos & Parthos ipsi se socium adiungit. Plutarchus, Appianus, Dion.

C 5

MITHRA



**MITHRADATES**, nominatur à Dione  
lib. 58. Fuere autem ei filij **PHARASMANES**  
& **MITHRADATES**.

**PHARASMANES**, retinet regnum post  
patrem, pulso fratre Mithradate: cum quo **TIBERII**  
Caesaris interuentu pacificatus, Armenia ei  
regnum conciliat, ciecto **ORODE**, Artabani  
Parthi F. Veritus Rhadamisli filij ferocitatem, hanc  
à se in fratrem uertit: utroq; nomine in felicissimus,  
quippe qui & fratrem per id amisit, & filium  
parricidam effectum tandem Romanorum metu de  
uita sustulerit. Dion, Tacitus. Nomen Pharasmanes  
aliqui origine & significatiore deducunt à Germa-  
nico **Warman**. Vnde Gallici scriptores fecere  
**PHARAMUNDVS**, qui Pharamundus  
primus regio nomine Francis imperauit in Gallijs, et  
sedes ibi genti suæ firmas peperit.

**RHADAMISLVS**, iuuenis ingenij præ-  
ferocis, scelerato conatu patris adhuc uiuentis re-  
gnum ambit. Cuius periculi metu cum ab eo con-  
tra Mithradatem patrum & Socerum inflamma-  
tus, bellū huic graue fecisset, captum deditioe cōtra  
datam fidem iugulat, et Armeniam occupatam etiam  
Romanorum permissu retinet. Igitur Adrastia diuis-  
na, parte alia in ipsum uindicationem parante, Vo-  
logesi Parthi bello petitur, pulsusq; crudelitatis odio  
à suis, et fuga perdifficili reuersus in Iberiam, patris  
iussu perimitur. Tacitus.

**MITHRAE**



**MITHRADATES**, conciliatus à Tiberio Cæsari fratri Pharasmani, Armenia regno, quod permiserat ipsi idem Tiberius, per hunc positur: idq; postmodo populi rebellione & Parthorum armis rursus amissum, **CLAVDII** Cæsaris ope & autoritate recuperat. Interficitur scelere Rhadamisli, cum armis eius oppugnatus, & Romanorum destitutus auxilijs, se ei sub fide dedisset. Dion, Tacitus.

**ZENOBI**A, fuit in matrimonio **RHADAMISLI**: quem ad bellum contra patrem secuta in Armeniam, pulsum deinde populi impetu non deserit, & fugæ eius se sociam adiungit. In quo periculo cum ob uteri grauidi onus euadere non posse uideretur, & maritus libertati eius consulturus, vulnere graui affectam Araxi flumini tradidisset, conseruatur ab accolentibus pastoribus: ductaq; ad **TIRADATEM** Parthum, Rhadamisli successorem, habetur honorifice. Tacitus.





DE PERGAMI  
VRBIS SITV PROVIN  
CIÆ DE TERMINATÆ, ORIGI  
ne, colonis, imperijs: De PHILETÆ  
RI, seu regum Attallicorum fami  
lia, & quæ eius propagatio,  
quæ interitus.

PERGAMVS, Theutranie urbs est in orientali Mysia. Ita enim discriminis causa appellare libet, cum alia sit occidentalis uel Europea ad Istrum fluium, quæ eadem & Moesia ab autoribus nominatur, sono nimirum enunciationis nonnihil uariato. Etenim origine appellationes ambæ eadem sunt: qua origine neq; gentes incolæ discernende: id quod alibi explicatione uberiori à nobis demonstratum, hîc ut repetatur, opus non est. Et habet adhuc tertiam Mysiam Germania nostra in ueteri Hermundurorum sede ad Albim, de qua neq; ipsa nobis hîc attingenda plura, & remittimus de hac etiam lectorem ad ea, quæ commentarius noster de Mysis habet exposita plenius. Quanquam alij sperando ad sonum Germanicum hanc Mysiam uocare malunt, pro qua è ueteribus quas dixi, appellationibus duabus recte reuocauit alteram, Moesia, Onuphrius Panuinius Italus. Nec sanè ipsius nominis Theutranie usum in autoribus eundem reperimus: nam et regioni & urbi communis fuit, eo modo,



do, quo in Germanica lingua per Mysos, & gens et  
urbs  $\delta\mu\acute{\omega}\nu\mu\upsilon$  & intelligitur, & Stephano Mysia  
terram & urbem denotat. Estq; credibile, ab urbe  
ad regionem translatum, quod potentia praeemine-  
ret, adeoq; imperio reliquas tractus illius urbes hã-  
beret subditas. Primam enim & uetustissimam  
Mysorum regiam Theutraniam facio : quod alludens  
Solinus : Theutrania regio, inquit, primò Mysorum  
fuit patria. Ac mansit fortè Theutranie denomi-  
natio à Theutrante, cuius aetas bello Troiano paulò  
superior est. Hunc enim conditorem ei attribuo, &  
nomen è Germanica lingua interpretor coniectore  
celcrem, Deutrasch. Enimvero Mysos à Germa-  
nica propagatos stirpe, & lingua itidem usos Ger-  
manica, dubium prorsus nullum est. Tametsi neq;  
ea uideatur improbanda coniectura, si quis ab  
Ascaniorum seu Tuisconum (hoc enim ex illo de-  
ductum, ut ab Tuisconibus Teutones denominati)  
confinio tractum uellet. Nam uicina, uel potius per-  
mixta in ista ora gentes fuere, ASCANII, CAY-  
CI, MYSI, quod de Caycis & Mysis fluij  $\delta\mu\acute{\omega}\nu\mu\upsilon$   
 $\nu\mu\upsilon\mu\upsilon\iota$ , de Ascanijs præter terram Ascaniam, & flu-  
uius et lacus Ascanius, testantur, Sed tamen extitit  
posterioribus temporibus celebritatis fama digniore  
PERGAMVS, quæ quidem eadem & Theutra-  
niam obscurauit. Vnde Pausanias hoc etiam nomen  
ad regionem transtulit, in Atticis. Sic enim expli-  
cat, quod paulò post eadem de re tradit obscurius :  
Pergameni, inquit, eã quæ olim Theutrania appella-



ta est, regionem tenent. Ceterum quæ Pergami ori-  
go fuerit, qui eius habendi conditores, quod afferam  
è scriptorum monumentis, certi nihil habeo. Nam  
Pausaniæ de PERGAMO, Pyrrhi Neoptolemi  
filio, narratio uerisimilis non est: etsi regnasse illum  
in Mysia non negârim. Atq; omnino Græcæ linguæ  
etyma inconcinniora sunt: ut regem illum ab urbe,  
quàm hanc de illo nomen id traxisse malim. Quod  
nomen è Mysorum, hoc est, conditorum & incola-  
rum antiquissimorum (nam in eam sententiam ma-  
gis inclinatione propendeo) deductum lingua facio  
Germanicum Bergheim/ à situ nempe montoso.  
Hunc enim Pergamum eiusmodi habuisse, è geo-  
graphis planum est, in quibus Strabo etiam metalla  
in uicinia eius nominat. Et frequentes occurrunt in  
nostra lingua compositiones à uoce Heim/ non so-  
lum in urbium, sed etiam in regionum denominatio-  
nibus: qua de re exempla alibi à nobis plura tradita,  
inde à lectore diligenti repeti, quàm cõmemoratione  
nostra noua exponi, satius fuerit. Videtur autem  
prima Pergamus accepisse incrementa sub TELE-  
PHO. Nam Arcadicam Pergamensium originem,  
de colonis, isthuc ab eo deductis accipio, cum quibus  
fortè & ueteres Mysi ita coaluerunt, ut linguam cum  
ijs communem assumerent. Auxit paulò post noua  
dignitate PERGAMVS Pyrrhi, regia ibi collo-  
cata, cuius instituti rex iste hanc maximè secutus  
causam uidetur, quòd uiuere cum gentilibus mallet,  
& à moribus externis abhorreret. Ac man-  
sit



fit quidem exinde Pergamus regum Mysie sedes ad CROESVM usq;. Tum enim cum gente ipsa ad peregrinos dominatus peruenit, & primum Lydis deinde Persis subdita fuit. A quibus cum DAMARATVS Spartanus dono concessam accepisset, & posteri itidem hereditate retinuisent, tandem pronepotes Eurysthenes & Procles iterum in Lacedæmoniorum fidem ob AGESILAI arma concessere. Nam reuocato illo in Græciam, pace ANTALCIDÆ cum reliqua Asia, Pergamus ad Persas redijt. Qui clades exinde à Græcis nullas passi, iamq; res horum secure despicientes, cuertuntur ab ALEXANDRO Magno. Et paret ab obitu eius Pergamus primum ANTIGONO μονοφθαλμῶ, inde LYSIMACHO. Huic hostis factus PHILETÆRVS, Pergamum subite impetu occupat, & post Seleuci cædem retentam ac conseruatam, successione quoq; ad familiam propagat, & regni noui, ab his tam exiguis rebus aucti, postmodo in immensum, primordia iacit. De quo regno & Philetæri familia, institutam in præsenti explicationem iam persequemur.

Definit autem Athenæus PHILETÆRI imperium sola Pergamo & Boca regione. Sed protulit amplificando hos tam angustos fines adiectioribus uarijs EVMENES successor, confirmauit regio nomine ATTALVS. I. cuius utriusq; felicitatem complexus EVMENES. II. Asiam ad Taurum usq; montem sub ditionem suam subiunxit.



iunxit, & Pergamum magnificè ornatam, tantam  
fecit, ut regno etiam tanto sedes digna facta fuerit.  
Familie origo ignobilis prorsus est: neq; PHILE-  
TÆRI uel patria uel genus certum tradi-  
tur. Nam Strabo à seipso dissentiens, nunc Cappa-  
docem Tyanensem, nunc Bithynum Tcionitensem,  
nuncupat. Sed sequimur nos Pausaniam & Athe-  
neum, qui ambo è Paphlagonia deriuant. Ac ut  
nomen parentis neutrius exprimitur, ita de matre  
prodidit singulariter è Carystio Athenæus, eam  
arte tibicinam, instituto amicam fuisse. Quò re-  
spiciens apud Liuium Philippus, rex Macedonum,  
Eumenem & Attalum propè regij nominis pu-  
duisse, ait. Propagârunt autem familiam Philes-  
tæri fratres: nam ipse Eunuchus erat. Quorum  
utriq; soboles genita mascula, sed coniugio & for-  
tuna dissimili. Nam Eumenem ut facinus illustre  
nullum commendauit, ita coniugium ei obscurum  
contigit. Quæ utraq; conspectiora fuere in Atta-  
lo, quippe qui nuptijs potitus sit filie ACHÆI,  
qui Acheus deinde ad regium nomen ascendit.  
Veruntamen regni opes & potentia penes EU-  
MENEM I. mansere. De quo uariantes Læra-  
tius & Iustinus, ille quidem Philetæro patre geni-  
tum tradit, hic uerò regem Bithyniæ nominat. Sed  
neutrum sententia nostra probamus, & fortè Læ-  
ærtius Eumenis genus repetendo altius, ad Philes-  
tærum auum retulit, quod, scriptura temporum  
iniuria deprauata, etas posterior de patre intelle-  
xit<sup>a</sup>



xit. Neq; negat Iustinus, suos & peculiare Bithyniam in isto tempore reges habuisse, è quibus ipsemet primum nominat P R V S I A M ΚΟΥΡΥΟΥ. Tametsi post ad eundem errorem relabatur de E V M E N E. II. nam & hunc regem Bithyniæ facit. Excipit uerò Eumenis imperium successione A T T A L V S. I. qui ceu parens familiæ alter uideri potest. Hæc enim ut in ipso solo constiterat, ita noua eius propagine amplificata succreuit felicius, & potentiam obscure antea pressam, nec non multorum inuidiæ cum periculo expositam, ipsius præcipue uirtute stabilitam conseruauit, adeoq; in lucem primum exeruit. Vnde est, quòd ferè Attallicorum regum nomen utitur de stirpe hac Strabo. Quanquam fortè & ad regiæ dignitatis ab Attalo partum decus allusum eo fuit. Hanc enim rex ille post deuictos G A L A T A S constanti usurpatione retinuit, & hereditate item ad successores transmisit: Cùm Philæterus & Eumenes I. tam nomen quàm honores regios recusassent perpetuò, adeoq; in tempora ea incidissent, quæ maximè id prohiberent. Nam uti hac parte iterum nos oppugnantem Iustini errorem de Eumenis utriusq; in Bithynia regno, antea improbando reiecimus, ita Lærtij in Arcesilao narrationem, qua è regibus E V M E N E M. I. præcipue à Philosopho illo honoratum ait, non ad nomen regium ab eo usurpatum, sed ad potentiam, quam regiæ parem possedit, referimus. Est autem de A T T A L O & reliqua eius posteritate

D

tate



tate dissensio ferè autorum nulla. Et euenit de illa,  
quod Attalo ipsi responsum ab oraculo fuerat: quod  
oraculum Suidas habet eiusmodi:

Δάσσει ταυρόκορως ἕξεις βασιλῆϊδα ἡμῶν,  
ἢ παῖδων παῖδες, τῶτων γεμῶν οὐκ ἔτι  
παῖδες.

Concidit enim regnum in nepote **ATTALO**  
**III.** à quo Romani heredes testamento instituti, id  
sibi uendicarunt, **ARISTONICO** excluso: quem  
iniuriam istam armis uindicare ausum, per **M.**  
**PERPENNAM** Procos: debellârunt, & ca-  
ptiuum abductum, strangulârunt in carcere. Attas  
men ea quoq; breuiter ut attingamus, quæ dubia de  
Attalo posterisq; in historijs pauca occurrunt: pri-  
mum de ipso proditum legimus apud Strabonem,  
editum fuisse matre Antiochide, Achai F. Quod  
equidem mirari cogit, quæ exposita habet Polybius:  
nam Achæum Attali hostem facit, huncq; pertina-  
cia tanta oppugnasse, ait, ut finibus eiecto uix Per-  
gamus conseruata sit. Id enim facinus ab auo planè  
alienum uidetur. Sed diuulsit fortè uel ma-  
ximè propinqui sanguinis uinculo iunctos in  
utroq; ambitio, & dominandi cupiditas. Neq; enim  
solum Cæsarem cepit, ut est apud Ciceronem &  
Suetonium, sed potentum ferè omnium animos occupa-  
pauit Euripideum illud in Phoenissis:

ἔιπ' οὐ γὰρ ἀδικῆρ' ἔστι, τυραννίδ' ὅτι πέρι  
κἀλλισοῦ ἀδικῆρ', τ' ἄλλα δ' εὐσεβῆρ' ἔστωρ.  
Id



Id est:

Nam si uiolandum est ius, imperij gratia  
Violandum est, alijs rebus pietatem colas.

Variatur etiam de ATTALO. II. cognomento  
Philadelpho, superioris filio. Nam Strabo tutela nomine regnum tenuisse, censet, ideoq; hoc à morte eius  
ad Attalum Philometora rediisse. Negant hoc Plus-  
tarchi expositiones, & ab EVMENE assum-  
tum Attalum successorem affirmant, sed qui deinceps  
de eadem benivolentia uoluntatem filio reddi-  
derit, liberis proprijs præteritis. In qua poste-  
riore sententia, quæ & aliorum aliquot scripto-  
rum argumentis confirmatur, nos quoq; manea-  
mus. Nam inter Attali Philometoris cædes,  
eas etiam, quibus in cognatos seuijt, memorat Ius-  
tinus: quos cognatos nos Attali Philadelphi li-  
beros accipimus. Et fortè ab iisdem oriunda  
fuit ACTE, Imp. Cas. NERONIS concu-  
bina. Etenim relatam in Attali familiam, de-  
creto Senatus publico, Dion scripsit. Cùm Sue-  
tonius, qui eius originis testes adhibiti fuere, infam-  
is periurij accuset. Ut omninò curiosè de his  
inquirendum non sit. Ac apparet, Acten eti-  
am genere eumentito commendare se Tyranno, uel  
hunc potius leuitatem impurorum amorum tege-  
re ea re studuisse. Cùm quidem & antecessor  
CLAVDIVS idem honoris in Pallantem &  
Felicem liberos contulisset, natalibus his ceu re-

D 2

stitutis



stitutis è ueteri regum Arcadiæ profapia. Restat  
dubium postremum de A T T A L O Philometore,  
cui solus Iustinus non patrem sed patruum  
fuisse Eumenem. II. ait. Et tradidit Liuius, nul-  
lam Eumenem liberum stirpem habuisse, nec dum  
ad id tempus, quo debellatum cum Perseo fuit,  
Attalum agnouisse. Quod ut tum natum iam  
hunc fuisse ostendit, ita natalium fidem in eo de-  
sideratam, non obscure demonstrat. Estq; credi-  
bile, Eumenem hac maxime regni in Attalum fra-  
trem transferendi causa usum : Sicuti itidem for-  
tè in Attalo Philometore seuitie iracundiam ac-  
cendit, qua deinde is tam immanibus cedibus tum  
in amicos, tum in cognatos grassatus est. Neq;  
de cognomento regis huius definiiri certi aliquid  
potest. Quandoquidem de eo sibi ipsi repu-  
gnat Plutarchus. Malumus tamen nos cum  
Strabone & Appiano φιλομήτορα nominare. Id  
quod an à studijs erga matrem, quam amicorum  
maleficijs (ita enim credi uolebat) interfectam,  
ultus post acerbè est, & regio monumento hono-  
rauit, retinuerit, relatum in literas nusquam repe-  
rimus. Etsi omninò eam sententiam asseueratio-  
ne nostra ueriores ducimus. Etenim Lucianus  
impietatis in patrem, cui uenenum propinârit,  
accusat. Quod tamen & ipsum habere idcò mi-  
nus locum potest, quòd hunc puer amiserit, de  
qua etate credere eiusmodi scelus nequaquam  
conuenit. Atq; ut credatur, hoc tamen rursus  
obstat



obstat, quòd haud inultum id laturus fuisset **Atta-**  
lus patruus, multoq; minus regni successorem no-  
minaturus. Quippe qui cum Eumene concordia  
& beneuolentia semper eximia uiuere  
rit, neq; sobole ipse ca-  
reret.





FAMILIA REGUM  
ATTALICORVM,  
SEV PHILETÆRI, QUÆ  
regnauit Pergamæ et in Asia  
Annos CLXI.

**S**TIRPIS regum Attallicorum, ut diximus, initium coepit in tribus fratribus, PHILETÆRO, Eumene & Attalo. Nam genitor horum nomine nullus refertur, nisi cui fortè coniecturam nostram è Laërtio sequi libet. Sit ergo is Philetærus, homo plebeius & ignobilis, utpote cui etiam uxor tibicina, adeoq; amica fuerit, quomodo est apud Athenæum.

PHILETÆRVS, à nutrice infans ad funeris spectaculum productus, grauitè à turba, sese mutuò obterente, affligitur, eoq; casu simul spado efficitur. Attamen educatur liberaliter, & ascitus in familiam DOCIMI, ducis Antigoni, hoc uicè & caso, cum eodem domino ad LYSIMACHVM transit. Cui probatus mirificè, ac pecunijs & rationibus præpositus, tandem ob Agathoclis cædem, & ARSINOES contra se institutas criminationes, infestus esse incipit. Cumq; Pergamo occupata, apertè ab eo defecisset, per legatum se pecuniamq; , quam Strabo 9000. talentorum fuisse, ait, SELEVCO tradit. Etsi retinuit post, euentu rerum & fortuna mirifica, utranq; . Nam  
turbatis



turbatis iterum Seleuci morte rebus Asiaticis, cum  
praesidio in arce se continuit, & pollicitando ualidi-  
oribus, obsequendo propioribus, facile hostilem  
uim omnem à finibus auertit. Obijt anno ætatis  
octogesimo, imperij uicesimo. Strabo, Pausanias,  
Appianus, Lucianus. Coluit summa ueneratione Se-  
leuci memoriam, & corpus eius ingenti pecunia à  
P T O L O M Æ O κεραιων redemptum, cremauit  
honorificè, & reliquias Antiocho F. misit. Suntq;  
imperij ipsius anni ab hoc tempore mortis Seleuci  
numerandi, quod incidit in Olympiad. 124. teste  
Polybio.

Eumenes, uixit nomine & fama obscura, &  
ante fratrem è uita decedit. Strabo.

E V M E N E S, I. tenet Pergamum post Phi-  
letærum hereditate, potentiam amplificat uirtute  
atq; ausis fortibus. Etenim Seleucidarum uires per  
intestinae discordiæ bellum, quod inter se gerebant  
S E L E V C V S Callinicus & A N T I O C H V S  
Hierax, fratres, conspiciatus conuulsas, perq; eam oc-  
casionem pro finibus proferendis audendum aliquid  
ratus, armis in Asiam inuadit: loca opportuna oc-  
cupat atq; munit, & occurrentem ad Sardes cum  
copijs Gallicis Antiochum fundit fugatq;. Cùmq; è  
tanto successu gloriam apud exteros, beniuolentiam  
apud ciues sibi parasset, Seleuco metum inijcit, & à  
belli urgendi spe omni depulso hostis grauis, maxi-  
meq; formidabilis existit. Interijt immoderata ebrie-

D 4 tate,



tate, cum Pergamo præfuiſſet annos 22. Strabo, Athenæus, Iuſtinus. Meminit Laërtius, & munificentiam ipſius prædicat erga ARCESILAVM Philoſophum.

Attalus, utitur PHILETÆRI fratris potentia prudenter: & reipub: tractandæ ab eo adhibitus, tum in aliorum regum & principum familiaritatem peruenit, tum ACHÆO, qui poſtmodò regium nomen contra ANTIQCHVM Magnum aſſumſit, ita ſe probat, ut filiam eius ANTIQCHIDEM coniugem promeruerit. Strabo. Meminit Pauſanius in Atticis.

Nascitur autem ex hoc Attali coniugio ATTALVS I.

ATTALVS I. ſucceſſit patrueli EVMEANI. I. & imperat annos 44. ſeu, ut habent alij, 43. Primum uirtutis & fortitudinis documentum edidit de ARIARATHE Cappadoce, quem hoſpitiſio liberali acceptum, laudata expeditione in regnum reſtituit. Inde bello premitur ab ACHEO auo, atq; intra Perganum cõcluſus, Galatas TECTOSAGES è Thracia in Aſiam euocat: opera eorum amiſſa recuperat: et tandem ob Lunæ deliquium militiam detrectantes conſidere in Hellesponto permittit. Eſi hæc cum gente illa neceſſitudo diuturna non fuit: cumq; Tectosagibus iterum ſedibus à PRVSIA exturbatis, reliqui tributum, quod Aſiæ reges pendebant, exigent acerbius, prælio uictos in eam, quam deinde retinere, fugere terram à mari  
com



compulit. Ut propulsaret ab ANTIOCHO  
Magno, quem tametsi socium, metuere tamen ob oc-  
cupatas ab Eumene urbes cogebatur, imminens re-  
gno periculum, Romanos sibi foedere adiungit: op-  
pugnat cū iisdem bello gemino (gestum autem prius  
fuit ob ÆTOLOS socios, alterum ob ATHE-  
NIENSES) PHILIPPVM, regem Maces-  
donum: & utroq; fortitudinis, industriæ, toleran-  
tiæ, fidei laudem eximiam promeretur. Perijt apo-  
plexia, quæ hortantem Thebanos ad societatem cum  
Romanis iungendam, subito inuaserat, idq; paulò  
ante prælium ad Cynoscephalas: die eodem quem  
natalem habuerat, cū annos uixisset 72. Polybius,  
Strabo, Plutarchus, Pausanias, Suidas, Zonaras,  
Liuus, Polyænus, Iustinus, Florus. Excelluit uirtute  
& animi magnitudine: summa industria suos rexit:  
unicam fidem socijs præstitit: mitis ac munificus  
fuit in amicos: atq; uitam omnem uixit modestissimè  
& honestissimè. Petitam à Romanis è Sybillinorum  
oraculorum responso magnam matrem Deūm,  
hoc est, grandem lapidem sacrum, eadem supersti-  
tione & ueneratione eis permittit: Quam excipere  
uir optimus iussus, SCIPIO NASICA ad  
id Senatus decreto deligitur, ut est apud Valerium.  
Daphidam Grammaticum nouo post ZOILVM  
exemplo maledicè HOMERO obtrectantem, &  
impiè de Deo sentientem, captum è rupe præcipi-  
tem egit. Fuit enim doctrina atq; optimarum ar-  
tium studijs cruditissimus, relictis ijs ingenij monu-  
mentis,



mentis, quæ sæpè à Plinio citantur & Strabone: & eos item, qui eruditionis laude præstarent, uoluntate semper munifica coluit. Quam uoluntatem cum erga Ctesiphontem historicum declaratam, etiam ad Lacydem Philosophum detulisset, isq; beneficium id planè respiciens, imagines procul esse intuendas, diceret, hortum, in quo doceret, extrui Athenis magnificè curauit, ut sunt autores Laërtius & Athenæus.

Habuit ATTALVS in matrimonio APOLLONIADÈM (alij Apollonidem uocant) è qua filios procreauit EVMENEM II. ATTALVM  $\phi\iota\lambda\acute{\alpha}\delta\epsilon\lambda\phi\omicron\varsigma$ , Philetærum & Athenæum. Fuit autem Apollonias patria Cizycena, teste Strabone: quæ cum castitatis, modestiæ, probitatis, pietatis, erga liberos, qua quidem ipsa uicissim ab his pari coleretur, exemplum de se memorabile reliquerit, uisum fuit hîc subiungere, quæ de ea tradidit Suidas: APOLLONIAS, inquit, Attali, patris Eumenis regis uxor: quæ plebeia cum esset, regina euasit, eamq; dignitatem usq; ad extremum uitæ diem retinuit, non meretricijs illecebris, sed modestia & urbana grauitate atq; integritate. Filios peperit quatuor, quos omnes insigni beneuolentiâ & pietate usq; ad obitum est prosecuta, quamuis non paruo tempore marito superstes. Cæterum Attalus & fratres cum domi essent, bonam famam sunt consecuti, dum conuenientem gratiam & honorem matri tribuunt. Ducentes enim matrem utraq; manu ma.



nu inter se mediam, in templa & per urbem ibant,  
cum suo comitatu. Quibus de causis spectatores,  
magnoperè probabant adolescentes, & ueneraban-  
tur: & Cleobidis ac Bitonis factum commemoran-  
tes, horum institutum et insignem alacritatem regie  
excellentiæ fastigio æquabant. Hæc Cizyci gesta  
sunt, pace cum Prusia constituta &c. Et iterum:  
Attalus, inquit, Asiæ rex matrem suam Appollonia-  
dem defunctam in maximo Pergami templo condi-  
dit, quod ipse extruxerat, uicinumq; lacum illius  
nomine appellauit.

EVMENES. II. surrogatur in regno pa-  
tri, quod fratrum esset natu maximus, idq; tenet  
annos 49. Ut cum Romanis coniunctam ab Attala  
amicitiam confirmaret, classem T. QVINA  
CTIO cum Rhodijs socijs contra NABIDEM,  
Tyrannum Lacedæmoniorum, auxiliariam adducit.  
Quo debellato, mox eosdem Romanos contra AN-  
TIOCHVM Magnum inflammat: grauem, si  
pax esset, accolam ratus: eundem, si motum bellum  
esset, non magis parem illis fore, quàm PHILIP-  
PVS fuisset: & aut funditus sublatum iri, aut si  
pax uicto daretur, multa ipsi detracta sibi accessura,  
ut facilè deinde se ab eo sine ullo Romano auxilio  
tueri posset. Et re ad bellum deducta, terra mariq;  
iuuat Romanos gnauiter: passus in hoc tempore  
clades ab hoste alias nullas, quàm quod Pergamus  
obsessa, & ager uastatus fuit. Id quod beneficij  
amplissia



amplissimi ἀμοιβῆν compensarunt Romani. Nam  
uicto ad Magnesium Antiocho, & ad pacis conditi-  
ones adacto, accipit dona omnia, quæ cis Taurum  
montem intra regni illius fines fuissent, præter Ly-  
ciam Cariamq; usq; ad Mæandrum flumen: tum in  
Europa Chersonesum & Lysimachiam: & ciuita-  
tates, quæ Attali stipendiariæ fuissent, pendere ipsi  
etiam uectigal iubentur. Inde pace usus tuta & tran-  
quilla, PRUSIÆ importunitate redire ad arma  
cogitur: cumq; terra uictor, mari ANNIBA-  
LIS astu (is enim exul tum Prusiæ hospitio uteba-  
tur) succubisset, pacificari cum eo à Romanis iu-  
betur. Quos ut officio nouo demereretur, PER-  
SEI belli apparatus, quos primus olfcerat, eis  
enunciat: atq; ut à Romanis hac re gratiam eximi-  
am inuit, ita Persei scelere Delphis in extremum ui-  
te discrimen uenit. Quanquam deinde uisus est eam  
iniuriam uindicasse leuius, adeoq; Romanos ipsos  
iuuiffe segnius. Nam remissus in regnum à Licinio  
Cos. successorì classem & equites Galatas ab eo pe-  
tenti denegat, ideoq; in indignationem illorū occula-  
tam incidit. Postremum bellum gessit cū Galatis: nec  
multo post morbo & senecta confectus, moritur.  
Strabo, Appianus, Eusebius, Zonaras, Liuius, Pro-  
bus, Paterculus, Iustinus, Florus, Eutropius, Oro-  
sius. Celebrat Eumenis studium circa bibliothecas  
Plinius lib. 13. cap. 11. Quod cū Ptolemæus amu-  
latus, chartas supprimeret, membranæ usus tum  
primum Pergami cœpit, et Pergamenæ inde cogno-  
mentum



mentum retinet. Habuisse autem Pergamensem bibliothecam accepimus uoluminum millia ducenta: quam totā postmodò ANTONIVS dedit Cleopatrae, & Alexandriam transtulit, ut narrat Plutarchus. Vfus est fidelissimo & maximè concorde ATTALO fratre, quem ex uano cædis ipsius ad Delphos nuncio diadema sumere, & uxorem ambire, ausum, hac beneuola admonitione obiurgasse, contentus fuit: Ne properes meam antè uxorem ducere, quàm me mortuum uideas: nec aliud deinde unquam in ipsum suspectum uel dixit uel fecit, & moriens & regnum & uxorem ei reliquit. Cum Romam profectus summo omnium studio exciperetur, à solo CATONE suspectus habetur: cuius rei is causam rogatus: Rex, inquit, animal est natus, & ra carniuorum. Fit eius mentio, Maccab. 8. Suidas hæc de Eumene habet: EVMENES corpore debili & afflitto, splendore animi damnum id pensabat: uir inter plurimos nulli sui temporis regum secundus, sed in rebus grauissimis & pulcerrimis maximus et splendidissimus. Qui cū primùm à patre regnum prorsus in pauca & tenuia oppidula contrætum accepisset, suum principatum maximis regnis parem effecit, non tam fortunæ suffragio & casu, quàm solertia atq; industria & labore suo. Gloriæ cupidissimus fuit, è suæ ætatis regibus: & plurimis Græciæ ciuitatibus benefecit, plurimos priuatim homines sibi conciliauit. Tertium est, quod fratres tres & ætate & uigore animorum præstantes, omnes

nes



nes in officio continuit, ut & parerent ipsi, & satellites essent, & regni dignitatem tuerentur. Hæc tenus Suidas. De quibus in autore isto hoc quoque notetur obiter, quod perperam Macedonum rex uocatur, & falso ei assuitur Eumenis Cardiani historia.

ATTALVS. II. cognomentum accepit Φιλαδέλφης, à studio scilicet amoris & beneuolentiae erga fratrem EVMENEM. Hoc enim fuisse in eo mirificum reperimus, declaratum cum alijs in rebus, tum etiam in bellis Romanis. Quo tempore Pergami obsessus ab ANTIUCHO Magno, atque oppugnatus hostiliter, animo presenti periculum illud depellit, & Romanis operam in prælio ad Magnesium egregiam nauat. Contra GALATAS, fratre absente, Cn. Manlio Volsoni auxilia adducit: à quo quidem deinde summo cæterorum assensu & laudatur honorifice, & donatur prolixè: Nam cum uirtus eius & industria in omnibus laboribus periculisque, tum modestia etiam singularis extiterat, ut ait Liuius. De Eumenis ad Delphos periculo falso edoctus, eumque interiisse ratus, quam par erat celerius diadema assumit: quod leui obiurgatione illum arguisse contentum, ad bellum contra PERSEA consecratur, idque post ab eo desertum cum Romanis urget. Quæ res cum beneuolentiam ipsi omnium propensam, Eumeni odium occultum peperisset, post Romæ procures nonnullos regni



regni petendi autores habet : cumq; fluctuare coe-  
pisset, STRATII Medici hortatu rursus id con-  
siliu abijcit, & fratri fidem integram seruat, no-  
minis famam & existimationem de se honestam,  
regno potiorem, ducens. Nec desuere sanè tam lau-  
dabili uirtuti etiam præmia tandem digna. Nam re-  
gnum ab EVMENE morituro per manus traditum  
accepit. Ad quod ornandum totum se conuersus  
rus, PRUSIÆ bello impeditur, & clade perfidi-  
dia eius tanta afficitur, ut & ipsam regiam urbem  
Pergamum amiserit. Vnde uehementer exacerbatus,  
etsi Romanorum iussu mox cum eo pacificatus est,  
odium tamen nunquam deposuit : & de auxilijs so-  
licitatus à NICOMEDE, hæc promptè ei suppe-  
ditat, et tùm Prusiam ipsum regno exiit, atq; inter-  
fici à filio finit, tùm auxiliatorem eius DIEGY-  
LEM regem Thracum in potestatem redigit. Eo-  
dem successu DEMETRII. II. regis Syriæ cona-  
tus reprimat, hoste ei nouo ALEXANDRO  
inducto : & de inflatu eiusdem Demetrii regnum  
Macedoniæ affectare ausum PSEVDOPHI-  
LIPPVM cum Romanis oppugnat. Moritur  
anno ætatis octogesimo secundo, regni uicesimo pri-  
mo. Strabo, Plutarchus, Appianus, Lucianus, Zo-  
narus Liuius, Florus. De eius erga matrem pietate  
& obseruantia, supra è Suida explicauimus. A Plu-  
tarcho ignauie notatur et animi ad ocium et gulam  
dissoluti : quicq; ex amicis Philopœmeni cuidam ita  
se dederit, ut & Romanorum dictoria incurreret. E  
Philoa



Philosophis maximè coluit LYCONEM Troedensem, & inter familiares ascitum regia magnificèntia donavit. Condidit in Lydia Attaliam & Philadelphiam urbes, à nomine & cognomine nuncupatas. Memoratur in socijs Romanorum regibus, 1. Maccab. 15. Meminit etiam Cicero in orat. pro Deiotaro, & SCIPIONI Æmiliano magnificentissima usq; ad Numantiam misisse dona, ait.

Philetærus, uixit & ipse cum EVMENE fratre coniunctissimè: à quo ANTIACHI M. affinitatem contemptam miratus, causas instituti huius cas audit, quæ circumspecti animi prudentiam illius eximiam testarentur, quibusq; ipse etiam facile acquiesceret. Bello Macedonico regni tutelæ præficitur: in quo munere se ita gessit, ut neq; querelis subditorum locum relinqueret, & à fratre fidelitatis & integritatis laudem promereretur. Strabo, Liuius, Appianus.

Atheneus, militat cum Attalo fratre Cn. Manlio Volsoni Cos. contra GALATAS: Quo confecto bello, classem illi ad trajciendas in Europã copias abducit. Inde legatus ab Eumene Romam mittitur de deducendis è Thracia præsidijs, nec multo post socius asciscitur ad bellum contra Persea. In quo deinde cū Attalo perseuerans, ita probat fidem & industriam suam L. ÆMILIO PAVALLO Imperatori, ut Delphos petituro solus cum  
Scipione



Scipione F. dignus uisus sit, cui uitam is & salutem suam crederet. Strabo, Liuius.

Fuit cum EVMENE. II. conuupta STRATONICE, Ariarathis V. regis Cappadociae F. è qua genitus ATTALVS III. Addūt his alij cōcubinam ἀνώουμορ, Ephesij citharædi filiam, quæ filium peperit ARISTONICVM. Reliquorum fratrum matrimonia ignorantur: etsi de ATTALOPhiladelpho tradidit Plutarcus, coniugem huic cum regno ab Eumene relictam, cum quidem antea etiam, ut diximus, hanc ambiuisset.

ATTALVS III. cognomento φιλομήτωρ, utitur patre EVMENE alieniore, & regni successione ab eo in Attalum Philadelphum translata, primū obitu huius recipit. Cuius tantæ iniuriæ paternos amicos autores suspicatus, eisdemq; matris necem imputans, crudeli illorum cæde grassatur, & ne quam à cognatis hostilem ultionem atq; insidias metuere cogeretur, hos quoq; per supplicia tollit. Vnde mox conscientia graui opprimitur: uitæ hilaritatem omnem fugitat: & regni cura abiecta, tum hortos fodere, tum cerdonicam tractare, tandemq; sepulcrū facere matri instituit. In quo opere cum ex solis ardore morbum contraxisset, septima die post decedit, & regnum testamento Romanis legat, postquam ei præfuerat annos quinque. Eusebius, Iustinus, Florus. Habuit præceptorem in bonis

E

nis



nis literis Symmachum quendam, hominem leuitatis  
extremæ: qui adulator deinde ipsius factus, eos de  
disciplina illius libros edidit, quibus omnis adulan-  
di ars contineretur, ut scripsit Athenæus. Et sanè  
hac ipsa institutione corruptum maximè ingenium  
Attali uidetur, quomodo & in Alexandro uitia hæ-  
sere, quibus puerum illum Leonidas imbuerat, ut re-  
fert è Babylonij Diogenis historia, Quintilianus.  
Addit Plutarchus, herbas ipsum uenenosas per-  
ocium plantasse, non altercum modo & ueratrum,  
sed cicutam etiam, aconitum, doreniumq; in regia  
seminasse & seuisse, operamq; dedisse, ut legitimò  
tempore succos eorum & semina legeret: Quippe  
quæ amicis dona mitteret, teste Iustino. Meminit  
Suidas *ἰνὸν δὲ* & belligerasse cum Galatis,  
ait. Putat Seruius, ucla picta aulae dicta, quòd pri-  
mum in aula Attali inuenta essent.

ARISTONICVS, nothus, regnum fratris  
testamento alienatum à familia indignatus, ar-  
mis id inuadit, Leucas oppidulum in partes trahit,  
& mari Ephesijs resistentibus, fortunam aduersam  
expertus, terra bellum urget, armataq; seruorum  
& inopum manu, prælijs exinde aduersus ciuita-  
tes, quæ imperium eius detrectarent, secundis mul-  
tis utitur. Ideò hostis à Romanis iudicatur: &  
Crasso Cos. cum quo facerent reges, Nicomedes, Mi-  
thradates, Euergetes, Ariarathes & Pylemenes, de-  
bellandus traditus, ex auaritia hunc prædæ quam  
bello



bello intentionem per Thraces auxiliares in potestatem redigit. Iterum congressus cum Perpenna, cum clade profligatur: & dedere se hosti coactus, Romam mittitur, & Senatus iussu strangulatur in carcere. Plutarchus, Velleius, Valerius, Iustinus, Eutropius, Augustinus, Orosius. Memorabile est, quod de corrupta Romanorum disciplina huius belli tempore tradidit Florus. Nam Manlius, Perpennae successor, ut ne scilicet pateretur, quod ipse in hunc tentaret, & provinciam pacaret maturius, fontibus veneno mixtis deditorem ciuitatibus nonnullis extorsit. Appianus Aristonici bellum annos quatuor durasse, ait.

**A T T A L O. III.** desponsa fuit **B E R E N I C E**, quæ ante nuptias mortem obiit: nec præterea quicquam de matrimonio eius in scripta autorum peruenit, & soboles itidem nulla nominatur.

**A C T E**, emta ex Asia, & in palatium adducta, formæ dignitate libertatem consequitur. Qua eadem cum **NERONEM** Imp. amore tenerrimo sibi deuinxisset, ideoq; originis illustrioris dignitatem affectaret, Senatoribus aliquot peierantibus, ut inquit Suetonius, in Attali familiam refertur, & crescente gratia, tantum apud principem potest, ut parum abfuerit, quin iusto ei matrimonio

E 2 monio



monio iuncta sit. Vnde postea etiam mortui memo-  
riam ea ueneratione coluit, ut reliquias cum Eclo-  
ge & Alexandria nutricibus gentili Do-  
mitiorum monumento condiderit.

Dion, Suetonius.







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




























153225


AB: 153220

(x 222 3577)









FAMILIÆ  
REGVM AR-  
MENIORVM ET  
PERGAMENORVM, QVA-  
rum illæ diutius, hæc maturius & pos-  
tentia fama maiore, vtræq; tamen in  
tertia Monarchiæ tempore, quæ  
Græcorum seu Macedonum  
est, regnârunt.

Conscriptæ

A

REINERO REINECCIO  
STEINHEMIO.



VVITEBERGÆ

*Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.*

ANNO

M. D. LXXII.

